Idea positiva substantiæ immaterialis æquè est intelligibilis ac materialis.

QUis Vigor æternus, vel quæ cœlestis Imago,
Qui sit mole exutus Homo, Dic, fusa per artus
Ut sese exercet *Divinæ particula auræ*,
Dic Anima; impulsusque tuos, oculosq; latentem
Pinge Tui speciem; ut fluxus, variosq; refluxus
Spiritus intus agit; levibusq; meatibus errans,
Nunc solidum penetrat, nunc ictâ fortiùs aurâ,
In motum cogit; viresque impellit, & æstus
Sanguinis accendens, vitamq; & fata gubernat;
Ut spatium quandoq; implet, seseq; remittens
Confluit in punctum, aut toto se corpore miscet,
Subtili & tacito perlabens flumine venas.
Nulla Tui ferro pars pervia, vulnere nullo
Fixa dolet; si membra putes, iterùmq; putares,
Icta fugit, pulsæ similisq; reciprocat undæ.
Pande aliquis vestrûm qui jam læta arva tenetis,
Pande per Elysios quæ sint commercia campos;
Quid faciunt Umbræ, atq; *Auraï simplicis ignes*,
Fælices Animæ, quæ nullo carcere clausæ,
Huc illuc agiles volitant, nec Corporis obstat
Moles, ætheriosve iterùm disjungit amores,
Quin castis coeunt Umbrarum amplexibus Um-
Sic intellectum subeunt, varioque volatu (bræ.
Hinc atq; inde Cavâ ludunt sub imagine formæ.
Si toties glomerantur in uno mille cerebro
Materiæ undantis species, si sylva, domúsq;
Frænatæque acies puncto miscentur in uno;
An non innumeras possint aperire fenestras
Umbrarum vis nuda, & inextricabilis aura?
ERGO, Papicolæ, cur non hanc discitis artem?
(Fingere vel primis pulchre didicistis ab annis)
Cur formæ cœleste nihil, nil corporis expers,
Roma, nihil præter simulachra effingere possis?
Sede suâ *Mentem Divinam* longiùs arcent
Insidiæ, bellique, & cædis dira Cupido.

Potestatem boni Principis legislativam non imminuit requisitus populi consensus.

PRo lubitu Rex cuncta facit, Rex cuncta gubernat,
Juraque pro arbitrio, datq; aboletq; Pater;
Prosilit Imperium moderantis ab ore Lycurgi,
Vox capit à Domino vimq; animumq; suo;
Jam demùm & vivâ moderatur voce senatum,
Dum solus Leges, quas rogat Ille, jubet.
Qualitèr in Cœlis Divûm Pater, atq; hominum Rex
Convocat ad superos *Numina magna* Lares,
Et de *plebe* Deos; seu ruptis arma cavernis
Enceladus Siculas jactet in astra faces,
Seu sacras sedes nova vis aliundè lacessat,
Dum variè Regnum spesq; timorq; trahit,
Ipse sedens solio, sceptroq; innixus eburno,
Sollicitos placidâ consulit aure Deos,
Diversas tacito delibrans pectore voces
Rectricem tandèm fulminat ore *suam*.
Hâc firmat, figit, Divûm & rata verba sigillat,
Et dicta in fatum solus abire jubet.

ERGO,

Ad Jovis Exemplum sese exerit alma Potestas
Principis, & vibrat se Carolina manus.
Voce suâ populum moderatur, voce Senatum,
Consilioq; regit solus utramque Domum.

Jul. 1. 1679. In die *Comit*. Resp. in Philos. *Ja. Linfeild*, A. M. *Coll. Trin.* Soc.

41